



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ad annum Christi 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118618**

§. 59. Pontificis diploma circa clausulam: Proponentibus Legatis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66653)

præterea exorentur Archiepiscopus  
Hydruntinus, & Episcopus Parmensis,  
ut omni studio conferant operam suam  
ad Synodum, quamprimum fieri poterit,  
absolvendam.,

Sæcul. XVI.  
A.C. 1563.

Mittebatur hæc epistola die vigesima prima Octobris unacum literis Cardinalis Borromæi, qui singulos hosce articulos explicabat, simulque satisfaciebat illis, quæ in libello per Vicecomitem Roma allato continebantur.

§. LIX.

*Pontificis diploma circa clausulam:  
Proponentibus Legatis.*

Ceterum, ne Lunensis Comes declarationi, quam circa clausulam *Proponentibus Legatis* petierat, rursus nova opponeret obstacula, hinc brevius, magisque expeditum consilium fore Romæ censebatur, si ipsemet Pontifex hanc declarationem ederet: idcirco variæ formulæ confectæ sunt, quæ omnes tandem in eam priorem recidebant, quam etiam Cæsar excogitaverat, vi cujus declaretur, quod per hæc verba nihil cuiquam juris additum, aut detractum censeatur de facultate petendi, agendi, aut dicendi ea, quæ secundum vetera Concilia, & Canones erant antea in ipsius potestate: nusquam tamen ibi usurpabatur verbum *proponendi*. Ceterum

*Pallav. c. 60  
num. 5.*

Nn 5

terum

Sæc. XVI

A. C. 1563.

terum hac de re Pontifex iussit sex diplomatum exempla Romæ dictari, eaque ad Legatos mitti, ut pro suo arbitratu ex his maxime opportunum selegerent: ipsi vero brevissimum selegerrunt, & per Oratorem Lusitanum illud ad Lunensem Comitem detulerunt, qui tamen illud acceptare præprimis renuit, eoquod in illo id, quod optabat expressum, non legisset, tametsi hæc forma, quantum desiderare poterat, ampla fuisset & Lusitanus, ac Cæsariani fassi essent, diploma sibi probari: denique post multas altercationes convenere, ut declaratio non a Pontifice, sed ab ipso Concilio fieret.

## §. LX.

*Contentio circa primam causarum cognitionem inter Legatos, & Lunensem Comitem.*

*Pallav. n. 6.* Legati adhuc aliam controversiam cum Lunensi Comite expedire cogebantur circa articulum, qui tangebatur primam causarum cognitionem, seu ut vocant, *instantiam*: etenim Comes hoc decretum ita concinari petebat, ut nunquam, quamvis esset excepta auctoritas Pontificis, eidem liceret causam ullam primo delatam ex jure ordinario cognoscere; ex adverso Pape concedi volebat, quod diferte Synodi Decre-